

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Error c  
cum fonte primo

Non enim placet sententia  
Tullii, maximus auctor Romani eloquii, qui  
nullum unquam uerbum, inquit, quod reuocare uellet, emisit.  
Que quidem laus quamuis preclarissima uideatur,  
tamen credibilior de nimium fatuo quam de sapiente perfecto.

Sed si in bonam partem accipiatur ut quempiam fuisse talem credamus  
qui cum sapienter omnia loqueretur, nullum unquam uerbum quod reuocare uellet,  
emisit. Hoc potius de hominibus Dei qui Spiritu Sancto locuti sunt quam de illo  
quem sic Cicero laudat saluberrima pietate credendum est.  
Ab hac ergo excellencia tam longe absum ut si nullum uerbum  
quod reuocare uelim protulero, fatuo sum quam sapienti similior.  
Illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima qui nullum uerbum  
non quidem reuocare uellet, sed quod reuocare deberet, emisit.

Non michi igitur Tulliana illa blanditur,  
sed angit me plane Oraciana sententia: Nescit uox emissa reuerti.

Augustinus ibidem (in epistola ad Marcellinum).

Romani maximus auctor Tullius eloquii:  
‘Nullum unquam uerbum’, inquit, ‘quod reuocare uellet, emisit’.  
quae quidem laus quamuis preclarissima uideatur,  
tamen credibilior est de nimium fatuo quam de sapiente perfecto.  
nam et illi, quos uulgo moriones uocant,  
quanto magis a sensu communi dissonant magisque absurdi et insulsi sunt,  
tanto magis nullum uerbum emittunt, quod reuocare uelint,  
quia dicti mali uel stulti uel incommodi paenitere utique cordatorum est.  
sed si in bonam partem accipiatur, ut quempiam talem fuisse credamus,  
qui cum sapienter omnia loqueretur, nullum unquam uerbum, quod reuocare uellet,  
emisit, hoc potius de hominibus dei, qui spiritu sancto acti locuti sunt, quam de illo,  
quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est.  
ab hac ego excellencia tam longe absum, ut, si nullum uerbum,  
quod reuocare uellem, protulero, fatuo sim quam sapienti similior.  
illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum uerbum,  
non quod reuocare uellet, sed quod reuocare deberet, emisit.  
hoc quisquis nondum est adsecutus, secundas habeat partes modestiae,  
quia primas non potuit habere sapientiae;  
quia non ualuit omnia non paenitenda diligenter dixisse, paeniteat,  
quae cognouerit dicenda non fuisse.  
Cum ergo non, sicut quidam carissimi mei putant, nulla uel pauca sed potius plura fortasse,  
quam etiam maledici opinantur, uerba dixerim, quae mallet reuocare, si possem,  
non mihi Tulliana illa blanditur,  
qua dictum est: ‘Nullum unquam uerbum, quod reuocare uellet, emisit’,  
sed angit me plane Horatiana sententia: Nescit uox missa reuerti

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 143.3-4  
(CSEL 44, A. Goldbacher ed., pp.252-4, ll.19-21, 1-22, 1-5).